

V.

Von und aus der Chronik des Johannes Codagnellus.

(Fortsetzung.)

Istoria Lombardorum, qualiter fecerunt collegium
et primo arma contra inimicos sumpserunt.

Quia putamus utile fore et ad audiendum delectabile oppressiones Lombardie et subiectiones atque exactiones ad memoriam reducere, de his ad presens videndum est pariter et audiendum. Anni quadriginti LXVI post Christi nativitatem. Erant enim in Galia Cisalpina habitantes¹ terrarum laboratores, agrorum cultores, armentorum custodes, equorum, mulorum, asinorum ductores, arma militaria seu bellica minime cognoscentes, predas, *rapinas, oppressiones sustinere proposuisse², *f. 43^a, tamquam arma bellica vellent exercere. Opprimebantur namque Galli Cisalpini, qui Lombardi dicuntur, frequentissime a Gallis Transalpinis ac efferis³ Theothonicis, a perfidis Ungaris, a crudelibus Longobardis. Reperitur in analibus libris, quod veteres historiografi⁴ Liguriam Galliam⁵ Cisalpinam appellant; unde Donatus grammaticus in dispositione provinciarum Mantuam in Galliam Cisalpinam esse dixit. Item legitur Ariminum in Galliam constitutum⁶. Verumtamen non detinebantur sub aliquo domino⁷. Sed predicti ad partes Lombardie accedentes gravissime eos opprimebant, bona eorum ipsis auferentes, quosdam vero copiosos pro captivis, ut redimerentur, secum ducentes. Interea quidam viri prudentes perfidiam atque sevitiam predictorum sufferre nolentes ingenti turba virorum sapientum tractare ad invicem pariter et cogitare ceperunt, qualiter ab oppressionibus et subiectionibus eorum possint deliberari, bona et iura eorum illesa conservare. Hoc facto omnes unanimiter

1) 'habentes' Hs. 2) Vgl. die oben S. 268 angeführten Stellen.
3) 'eueris' Hs. 4) 'historiam ogori' Hs. 5) 'asiam' Hs. 6) Dies von 'veteres' an ist aus Pauli Hist. Langob. II, 23 entnommen, welche Stelle schon oben in der Handschrift f. 24^c in den aus Paulus excerpierten Gesta de Italie provinciis steht; s. oben S. 325, 327, N. 7. Nur ist hier aus der 'expositio Virgilio' des Donat eine 'dispositio provinciarum' geworden. 7) Es ist vielleicht 'dominio' zu emendieren, da oben S. 328: 'qui sub aliquo minime detinebantur imperio'.